TRACTATIONIS EXEGETICAE
PARS I.
VINDICATIO SCRIPTURAE SACRAE.
Cap. I.
De
DIVINITATE SCRIPTURAE SACRAE.

§. I.

ANte omnia Scriptura ſacra vindicanda, & in dignitatem Principii fidei aſſerenda eſt: Quod fiet, ſi evincatur,

1) illam eſſe vere divinam,
2) eſſe certam & conſtantem,
3) omnibus abſurditatibus & erroribus carere,
4) eſſe ſatis perſpicuam,
5) eſſe ſufficientem.

§. II. *Initium capimus a demonſtratione* divinitatis ſcripturæ ſacræ, quæ ipſi competit partim ratione originis & θεοπνευςίας, partim ratione formæ ſeu ſenſus divini, partim ratione adjunctorum primariorum, nimirum auctoritatis & efficaciæ divinæ. Tria vero nobis hic præſtanda ſunt:

1) ut hypotheſes Antiſcripturariorum examinemus & refutemus:
2) argumenta demonſtrativa pro Scripturæ autoritate afferamus:
3) ad Objectiones reſpondeamus.

(Anti-